

QUI NON INTELLIGIT AUT TACEAT AUT DISCAT

MONAS HIEROGLYPHICA
IOANNIS DEE, LONDINENSIS
AD
MAXIMILIANUM, DEI GRATIA
ROMANORUM, BOHEMIÆ ET HUNGARIÆ
REGEM SAPIENTISSIMUM

OMNIUM PLANETARUM PARENS ET REX FIT STILBON ACUMINE STABILI
CONSUMMATUS

DE RORE CÆLI ET PINGUEDINE TERRAE DET TIBI DEUS, Gen. 27.

Guliel. Sivius Typog. Regius, Excud. Antverpiæ 1564

INCLYTI REGIS
MAXIMILIANI
EXCELLENTISSIMAE MAIESTATI

IOANNES DEE, LONDINENSIS

Imperium optat Felicissimum.

Quæ due causae, meæ conditionis hominem, R E G E M tantum tam exiguo donare Munere animare possunt, hæ ambæ, nunc, me ad hoc faciendum impulêre. Benevolentia nimirum erga vestram Maiestatem mea maxima: Et Muneris ipsius, licet parvi, tum raritas magna, tum bonitas haud aspernanda. Benevolentiam vobis excitavêre et conciliavêre sempiternam; vestræ admirandæ virtutes: Quæ tantæ sunt, ut, qui illas oculata non perspexerint fide, aliis quidem, vel mediocriter credant, rarissima, de eisdem, licet verissima, narrantibus. Sed qui easdem diligenter accuratiusque sunt contemplati præsentibus: orationis, se, dictionisque maxima laboraturos inopia ac paupertate fatebuntur; quam primum oratorie in earundem omnem se diffundere cupiant amplitudinem. Huiusce rei causas, ego, proxime iam præterito Septembri, in Hungarici vestri Regni Posonio, aliquam trahens moram, luculentissimas easque variis exploratas modis, oculatus cognoui Testis.

De Muneris autem (mole quidem ipsa exigui) quod dicerem raritate, verbis, quam fieri possit, paucissimis; mihi mentis indaganti conamine toto, occurrit humanæ vitæ duplex, inque diversas sententias, cursus (quorum alterum ingrediuntur plerique omnes) istac considerandus ratione. Quam primum, infantiaæ confecto curriculo, pueritiaæque: adolescentum iam, quod vitæ deinceps ingredientur genus, animum

torquere incipiat optio: tunc, in ancipitis iudicij aliquantulum hæsitantes biuio: Statuum tandem: vel, (versitatis hij quidem et virtutis capti Amore) ad Philosophandum, toto reliquo vitæ spatio, nervos contendendos omnes: vel (illi certe, mundanis irretiti illecebris, aut divitiarum flagrantes cupiditate) delicatam quæstuosamve vitam ducere, modis sollitate laborandum omnibus. Et istorum, mille, profecto vel facillime inuenias: ubi illorum (sincerius scilicet qui Philosophiæ operam navant) vix unum monstrare queas: qui ipsa phyficæ, saltem prima veraque, degustarit fundamenta. At, qui cælestium virium et actionum: rerum aliarum ortus, status, obitusque, fuerit penitus pleniusque; perscrutatus causas: ne eorum quidem, qui se totos ad sapientiæ studia convertere, millesimum in medium adferre, Respublica Literaria potest. Quid ergo, qui, istis difficultatibus superatis omnibus, ad Supercælestium virtutum, metaphysicarumque influentiarum speculationem et compræhensionem aspirarit. UBI HUNC, in toto Terrarum orbe (nostris istis deploratissimis temporibus) magnanimum, vel UNUM esse, sperabimus HEROA? Cum, iuxta prioris nostræ (haud temere receptæ) MILLESIMÆ proportionis progressum: EX CENTUM SINCERE PHILOSOPHANTIUM MYRIADIBUS: AT EX PROMISCUÆ HOMINUM SORTIS, CENTUM MYRIADUM MILLIBUS, HUNC UNICUM FOELICISSIMUM FOETUM EXPECTARE DEBEMUS. *Cuius sic Demonstrata RARITATIS HIEROGLIPHICUM Typum, ad pythagoricam (dictam) appingemus literam. Ubi vestræ Excellentiæ attentuis intuenti, maiora sese (consideranda) offerre videbuntur, Mysteria: ex nostris hoc modo descripta COSMOPOLITICIS Theorijs.*

In quo nunc triplicis istius (philosophicæ) explicatæ maritati gradu (Clementissime REX) optarem quidem hoc meum esse, censerique munus: vel ipse, qui artium maximarum, rerumque secretissimarum cognitione excellis et abundas, facili

possis assequi coniectura, At in infimo, primoque philosophandi genere, statuere: non id à me arroganter esse factum existimo. Et si ab humo, altius interdum videatur caput levare velle: ex eodem ergo et Bonitatis gradu, fructus uberes, de isto meo sperandos munere, vestræ celsitudini polliceri, audeo. Et, hac quoque raritate præditum est, hoc nostrum munus, quod eo genere scribendi, usque ad extremum orationi filum, contextum est, quo, nunquam, ad hodiernum esque diem, aliquod fuisse absolutum opus, vel auditione accipere potui, vel ex maiorum intelligere monumentis.

Hieroglyphicum etiam licet appellem, subesse tamen et lumen et robur quasi mathematicum, qui penitus examinarit, fatebitur: quod in tam raris factitare rebus, satis esse rarum liquet. An non hoc rarum, quæso, astronomicos vulgares planetarum characteres (ex mortuis, aut mutis, aut saltem quasi barbaris ad hanc horam notis;) iam vita imbui immortalis: Et in omni lingua et Natione proprias suas eloquentissime explicare posse vires? Cui etiam accedit et istud valde rarum: externa eorundem corpora, ad mysticas iam suas (optimis argumentis hieroglyphicis) esse revocata, restitutave symmetrias. Quasi, vel eadem fuissent olim, apud sæclum prius: vel tales fore nostri optassent maiores. In Eclipticæ dodecatemiorum notis, quam novo foelicique idem præstare tentaverimus successu et id videre, ut est rarum, ita novum prorsus. Et hæc omnia in unico, eoque MERCURII Charactere Hieroglyphico (acumine quodam præmunito) includi est omnino rarissimum. Vere ergo, ille, nobis totius astronomiæ restitutor et instaurator nominari potest: et nostri IEOVÆ in hoc genere Nuncius, ut Sacram hanc scriptionis artem, vel novam conderemus primi: vel extinctam prorsus et ex omni hominum memoria deletam, eius revocarem monitis. Idque, à nobis, hoc est factum modo, ut placidissimè, et quasi sua sponte, hieroglyphicæ illæ interpretationes omnes, sese in medio ponant: violentum nil, vel improprium quasi per totum videri

opusculum potest. Et haec, LONDINENSI nostro HERMETIS SIGILLO (ad sempiternam hominum memoriam) consignari; ut, in eodem, ne superfluum punctum unum, et ad hæc quæ diximus significanda, (longèque maiora) ne unum deficiat punctum; omnes cogentur, maxime fateri rarum. At præ ceteris, illi, qui in philosophiæ sapientiæque profundioribus disquisitionibus, nomen possunt profiteri suum. Sic enim testificabuntur grammatici: dum rationes esse reddendas, de literarum formis, situ, loci in ordine alphabetario, nexibus varij, valore numerali, alijsque plurimis (quæ circa trium linguarum alphabeta primaria considerandi debent) hic admoneri se videbunt. Ut et alias, tam rarum esse grammaticum, qui grammaticam, unam esse scientiam, ab uno discendum homine, exacte defendere possit: quam illum, quem supra in terris demonstravimus rarissimum Apologetice, olim disservimus¹. Sed tanta de hijs mihi constant mysteria, quæ solidissima habent (tum istius artis grammaticæ: tum eorum quæ eiusdem ervantur auxilio mysteriorum) in sacrosanctis DEI OMNIPOTENTIS Scripturis, iacta fundamenta, quanta nec libro explicare magno queam; nec locus iste iam requirere videtur. Neque mireris, O Romanorum Rex Inclyte; me, alphabetariam literarum magna continere mysteria, nunc obiter referre: cum IPSE, qui omnium mysteriorum Author est SOLUS, ad primam et ultimam, SEIPSUM comparavit literam. (Quod non in Græca solum esse intelligendum lingua: sed tum in Hebræa, tum in latina, vaijs, ex arte ista, demonstrari potest vijs) O, quanta tum, debeant esse, intermedia rum mysteria? Et non est mirum, hoc, in literis sic constare: cum et visibilia et INVISIBILIA omnia: manifesta et occultissima (natura vel arte) ab ipso Deo emanantia, ad eius BONITATEM, SAPIENTIAM et POTETIAM, prædicandam, celebrandamque à nobis, diligentissima indagine sunt perlustranda. Inde, excusatione omni carere, HUMANUM

¹Sul margine sinistro del foglio 4v, in alto, troviamo la seguente iscrizione: «Anno 1557. In Speculo unitatis, sive apologia pro Rogero Bachone anglo».

GENUS, docebat Paulus: Etiam si, nullum aliud de hijs haberet Scriptum Monumentum; quam, quod ex CREATIONE, ipso Digito DEI, in omnibus est exaratum creaturis. At, hoc nunc non ago, curiosius, ut ista ab omnibus requirere velim grammaticis: sed ipsos, qui rerum abdita eruere mysteria laborant: cum, testes facere nos, rarum quoddam in hoc genere, (ex nostra MONADE) demonstrasse exemplum: tum amice admonere; primas, mysticasque, hebræorum, græcorum et latinorum literas: à Deo solo profectas et mortalibus traditas. (Quicquid humana iactare solet arrogantia) earumque omnium figuras, ex punctis, rectis lineis et circulorum peripherijs, (mirabili, sapientissimoque dispositis artificio) prodijisse. Et, licet, omnem Mosaicæ legis sensum, usque ad Iodim et Apicum impletionem omnium, considerandum esse, nos docuit æterna cælesti nostri Patris sapientia: quasi in IOD et Chireck (ex quibus omnes hebræorum literæ, vocales consurgunt) ultima considerationis legalis, facta analysi: Nobis tamen non est id contrarium, UNITATE APICIS CHIRECK, IMMOTA MANENTE: TRINITATEM MONADUM CONSUBSTANTIALIUM, IN UNITATE IPSIUS IOD, CONSPICUAM, *Amplectentibus*: EX RECTA DESCENDENTE LINEA UNA, ET DIVERSIS PERIPHERIÆ PARTIBUS DUABUS, CONFORMATAM. Unde satis enucleatè, eodem labore detegimus: Primos nomine, tam stupendam hebraicarum literarum et nekudoth fabricam, ex tam mysticis condere principijs, sine præsentissimo divini numinis afflatu, non potuisse. Quæ, etiam si, minima eorum sunt, quæ vulgarium grammaticorum ponderentur Iudicijs: Dum tamen, quo sese ad omnem literarum et Nekudoth generationem, et quam mirabili accommodent artificio, apte à sapientibus considerantur, Maxima, perpluraque (absolutissima anagogia) illos edocent mysteria. Sed dimessi, hoc modo, literarum istis et linguæ philosophis; MATHEMATICOS meos, raritatis istius nostri muneris, adducam sincerissimos testes. ARITHMETICUS, (non

dico, LOGISTA) an non mirabitur, numeros suos, quos à rebus corporatis abstractos et sensibilibus omnibus liberos; in Dianœas recondebat recessibus; ibique mentis varijs tractabat actionibus: eosdem, hic, in nostro opere, tanquam concretos et corporeos ostendi, fierique et eorundem animas, formalesque vitas, ab eis, in nostros secerni usus? An non maxime mirabitur, tantum videre MONADIS fœtum: cui ne culla Monas alia, vel numerus, additione accedit: Nec extrinsece ad ipsam multiplicandam adhiberi potest? An non admiratione afficietur maxima; in rei et census subtilissima generalique regula: UNIUS REI, tanquam Chaos, propositæ, (ad omne dissoluendum arithmeticum dubium, habilis) CENSUM ipsum et valorem, sine Æstimationem (potentiæ in ipsa Re latentis) Hic, primo semper examine, DENARIO explicari numero? Accuratis divisionis et Æquationis operibus (vel ut illa Ars præscribit) mediatis prius? GEOMETRA (mi Rex) sibi de Artis suæ vix satis plenè constare principijs (quod valde mirum est) incipiet hæsitare: cum, hic, in secreto, murmurari, innuique intelliget: QUADRATO, CIRCULARE, omnino Æquale, huius MONADIS hieroglyphicæ Mysterio dari. Archimedisque dictos SUDORES, hic, excellentissimo compensari posse Fructu: licet tentatum haud fuerit ipse assecutus Problema. In magnis voluisse sat est. MUSICUS, quo stupore ille possit iure affici meritissimo: cum sine motu et sono, inexplicabiles, cælestesque hic intelliget HARMONIAS? Et ASTRONOMUS, an non perpersi sub Dio Algoris, vigiliarum et laborum pœnitebit se maxime, cum, hic, sine aeris vlla perferenda iniuria. Sub tecto, clausis undique fenestris ostijsque, ad quodcunque datum tempus, cælestium corporum periphoras, oculis exactissimè queat obseruare? Et hoc quidem, sine Mechanicis ullis, ex Ligno vel Orichalco confectis Instrumentis? Et PERSPECTIVUS, sui ingenij stupiditatem condemnabit: qui, ut iuxta parabolicæ coni sectionis lineam (apte in gyrum circumactam) speculum efficeret, modis laborarit omnibus: quò

propositam quamcumque (igni obnoxiam) materiam, incredibili ex radijs solaribus vexaret calore: cum, hic, ex tetrahedri sectione trigonica, linea exhibeatur; ex cuius forma circulata, fieri potest speculum; quod (vel nubibus soli subductis) quoscunque lapides, vel Metallum quodcumque in impalpabiles quasi, vi caloris (verissimè maxima) redigere potest Pulveres. Et, qui PONDERUM subtili speculationi toto vitæ tempore insudarit: quam bene, suos ille collocatos esse Labores, sumptusque iudicabit: Cum, hic, Elementum Terræ supra aquam natare posse, certissima experientia, MONADIS nostræ docebit Magisterium? Haud secus, Qui rationes PLENI et VACUI (argumentum usque ab ipsis philosophiæ incunabulis controversum) diligentissime ventilant: Videruntque, ea lege, et naturæ (quasi indissolubili) vinculo (à Deo Opt. Max.) coordinatas, connexas, et copulatas elementorum proximorum esse superficies: ut in igne, aere et aqua, sursum deorsum, horsum illorsum, (ex eorum animi sententia) ducendis impellendisve; hominibus miranda confidentissime ostendere possint (varijs et illi quidem inventis Reip. sunt utiles: ut hydraulicorum totum artificium monstrat et reliquia Heronis Thaumopoëtica: ut nunc placet illa nominare). At, quod Terræ elementum, sursum, in ignem, per aquam, ulla machina exantlare possit: nullus ex illa professione, sibi vendicabit. Nostræ tamen MONADIS Theoriæ, fieri id posse, demonstrant. O Sapientissime Rex, ista in mentis vestræ, memoriæque reponatis thesauris secretissimis. Ad CABALISTAM iam venio hebræum: qui, ubi suam (sic dictam) Gemetriam, Notariacon, et Tzyrurph (artis suæ tres quasi præcipuas claves) extra sanctæ, nuncupatæ, linguæ exerceri fines videbit: immo undiquaque (ex obvijs quibusque, visibilibus et invisibilibus) huius, (à Deo) receptæ traditionis mysticæ notas, characteresque corrogari; vel, hanc quoque artem, tum, vocabit SANCTAM: (veritate coactus; si intelligat) vel, non Iudæorum, tantum; Sed omnium gentium, nationum et linguarum, sine

προσωποληψία, eundem esse DEUM benevolentissimum fatebitur: nullumque mortalem se excusare posse, de sanctæ huius nostræ linguæ imperitia. Quam, in nostris ad Parisienses Aphorismis, REALEM nominavi CABALAM, sive του ὄντος: ut illam vulgarem alteram; cabalisticam nomino GRAMMATICAM sine του λεγομένου, quæ, notissimis literis, ab homine scriptibilibus, insistit. Hæc autem, quæ creationis nobis est nata lege, (ut Paulus innuit) REALIS CABALA, GRAMMATICA quoque quædam diviniior est: cum artium ista sit inuentrix novarum, et abstrusissimarum fidelissima explicatrix: ut hoc nostro alij tentare exemplo, de cetero, possint. Non exhorresces, beneficio, (O REX) licet iam, in vestra regia præfentia, MAGICAM hanc proponere audeam parabolam. Terrestræ quoddam corpus, MONAS hæc nostra Hieroglyphica, in centro centri, latens, prossidet: quod, qua sit ACTVANDVM divina potentia, sine verbis, ipla docet: cui iam ACTVATO, Lunaris et Solaris est (Matrimonio perpetuo) COPVLANDA, influentia Gonetica: licet, ante, in Cælo vel alibi, fuere ab EODEM corpore SEPARATISSIMÆ. Hac (dei Nutu) facta Gamaæa, (quam, parisiensibus, sum τῆς γαμῆς γαιαν interpretatus: id est, Matrimonii Terram: sine Influentialis (coniugij terrestræ signum) super suam natiuam Terram, Eadam, Vltius Nutriri non potest, vel Ignari, quam ad QVARTAM magna vereque Metaphisicam Reuolutionem Completam. Quo finito Progressu: qui aluit, in METAMORPHOSIM, Primus ipse abibit: Rarissimeque, post, Mortalium conspicietur oculis. Hæc, O Rex Optime, Vera est, toties decantata (et sine Scelere) MAGORUM INVISIBILITAS: Quæ (ut Posterii omnes fatebuntur Magi) nostræ est MONADIS concessa Theoriis.

Expertissimus MEDICUS, etiam ex eisdem, facillime Hippocratis Mysticam assequetur voluntatem. Sciet enim, QUID, CUI, ADDENDUM ET AUFERENDUM sit: ut, ipsam Artem sub maximo MONADIS nostræ Compendio, et MEDICINAM

ipsam contineri, Lubes deinde fateri velit BERYLLISTICUS, hic, in Lamina Chrystallina, omnia que sub Caelo LUNÆ, in Terra vel aquis versantur, exactissime videre potest: et Igneam Regionem explorabit. Et, si VOARCHADUMICO, nostræ Hieroglyphicæ MONADIS, Theoria vigesima prima, satisfaciat, ipsique, VOARH BETH ADUMOTH, Speculandum ministret: Ad Indos vel Americanos, non illi esse Philosophandi gratia, peregrinandum, fatebitur. Deinde de ADEPTIVO genere (quicquid vel ARIOTON Ars subministrare, vel polliceri possit; vel viginti Annorum maximi Hermetis labores sunt essecuti) licet ad Parisienses, sua MONADE peculiari (Anagogica Apodici illustratum) alias scripserimus: vestre tamen Maiestati Regiæ constanter asserimus, ID OMNE, Analogico nostræ MONADIS Hieroglyphicæ Opere, ita ad viuu eprimi ut Similius aliud Exemplum, humano generi non posset proponi. Quod, in seipsum, dupliciter, traducere debet: Ipsum, scilicet, Dignificatum glutire opus: et Operis Imitari Dignificationem. Nunc, satis a me; (imo vereor, si hæc hominum audiret Vulgus; ne plus satis) de Raritate nosti huiusce Muneris Theoretici, esse dictum, (triplicis Inclyte Diadematis honore) concedas Rex O Maximiliane: Eisdemque limitibus, eiusdem definiri bonitatem. Satis ergo sit, (Regum omnium decus singulare) hoc nostrum munus, dum, tam esse Rarum demonstraverimus diligentius, neminem tamen (licet invidiæ linguæ petulantia maledicentissimum quidem) avem esse Æsopicam mussitare posse. Tantum profecto abesse, ut iuste, illius indignitatem ferat calumniæ; modestissimi omnes Sapientissimique fatebuntur Philosophi: quod non dedignabuntur Illi quidem, una mecum, laudes et Honorem illi Phœnici accinere, ex cuius solius misericordiæ alis, rarissimas istas omnes cum Timore et Amore extraxerimus Theoreticas Plumas: contra nostram per Adamum introductam Nuditatem: ut eisdem, Ignorantiæ asperrimis quibusdam frigoribus, multo resisteremus alacriores: et Errorum Turpitudinem, à

Philosophantium tegeremus oculis; Honestæ VERITATIS studiosissimi. Et quamvis Auctoritate aliqua Humana, nullo modo, hic sumus freti; Sicubi tamen, Antiquissimi alicuius Philosophi, opportune poterat nostro illustrari Lumine, aliquod notabile dictum vel Scriptum; ibi. Illud amice nostris exhibere Posteris, non recusauimus. Veluti in Hermetis, Ostanis, Pythagoræ, Democriti et Anaxagoræ quibusdam Mysterijs: in quæ ex nostris hieroglyphicis descendimus Demonstrationibus, non tanquam ab illis, fidem emendicantes in istis. Et istam tantam Raritatem, ita, ubique coniuncta Comitatur Bonitas: ut nihil, vel aperte vel tecte, in hoc libello a nobis esse positum, PROTESTEMUR, quod non idem honestum, sincerum, dignitati humanæ aptum sit: Pietatis perfectissimæ, Religionisque veræ studio utilissimum. Et ut ΟΡΘΟΤΟΜΕΙΝ certe, in tam arduis Mysterijs non potest, nisi Ille, Qui, eorum perspectissimam habet omne Amplitudinem: Sic Nemo Citius Infantiam suam, Malitiam, vel Arrogantiam proderet, quam Ille, Qui, quiquam eorum quæ hic Vestre Sapientiæ Commendauimus, vel tanquam Impium Condemnare, vel tanquam friuolum Reycere auderet. Cuius rei, cum nullum, vel Iudicio Acutiorem; vel usu Experitiorem: vel Autorictate Potentiorem: vel Sinceritate Fideliorem; adducere quis possit Testem, quam Summus Ille Regu Rex Omnipotens, Regem fecerit MAXIMILIANUM: erit ergo mihi Vestra augusta Maiestas instar aliorum Omnium: Cui, hauc nostra, Probata esse, haberique Rata; non solum, Triobolarium multorum obthurabit ora Gramaticastrorum: Sed etiam multorum Philosophantium eriget animos: vel humi, iam, propter tantorum Mysteriorum proclamatam Incertitudinem, Iacentes: Vel propter Rerum Raritatem, Imperitorum Sucenter: Vel propter Rerum Raritatem, Imperitorum Superba timentes Iudicia: Qui Bona cum Malis (temerè, promiscueque, ex nominis sola Similitudine,) condemnare solent Studia. Cum maximè deplorando (interdum) Optimorum librorum interitu.

Quorum utrumque, Reipublicæ Christianæ, plurimum, varijs temporibus, attulisse detrimenti, clarissimeè constare potest. Apto nimirum ad tam magna tractanda Capessendaque ingenio, vel priori ratione perterrefacto: veliam, quidem, cum Progressus haud mediocres fecerit, Rusticè eiusdem et Superbè, ab Imperitis Iudicibus, universo tam nobili tamque divino Mysteriorum condemnato studio. At alterius est loci, singulis Scientijs Honestis, suas comparare æmulas: falsas illas quidem, Umbratiles, Odiosas, Molestas, Hominumque Societati Inutiles. Quas, Solas, et ea ratione qua vulgares captant homines et exercent: non vulgari solum, sed Sapientissimi cuiusque Iudicio explodendas, condemnandasque, et fatemur; et ita diligentissimè fieri, nos quoque, suademus. Sed, qui, CORPORA illa, vel Esse nesciant, vel ubi, vel qualia sint, QUORUM ista tenuissima sunt umbræ: Quo modo, Illi Hominum non Vulgarium, non Vulgaria condemnare Studia, vel audent vel saltem fure possunt? FIAT IUSTITIA. Unicuique, quod suum est, sic, tribuatur, in istis Vulgaribus Sciolis, Artium Magnarum Umbras non sectantibus solum sed easdem etiam sceleratissimè ementientibus adulterantibusque: Nugas, errorem, omnemque adscribamus Impietatem: At in Bonis Solidisque studijs Provectoribus: et honestis moribus tum confirmatis, tum sua integritate Clarissimis: vel, vim (ob levem vulgi Calumniam) Inferre: Vel eorum in Odium vocare Nomen, studiaque, vel in discrimen, vitam non solum inhumanum id mihi (o Rex) Sed Iniustum et quasi Impium, Videtur. Nam, ut corporum quorumcunque, omnes ubicunque Umbræ, COMMUNES com ipsis Corporibus TERMINOS habent: (quod Mathematicis est notissimum) Eodem modo, et hic phrases Loquendi, Scribendique: Umbris, Verisque ipsis Corporibus, Communes esse, Permittunt SOPHI. Ubi, Imperiti, Temerarij, et Præsumptuosi simiæ, UMBRAS captant solas, nudas, et Inanes: Dum ipsi Sapientiores Philosophi, CORPORUM Solida fruuntur Doctrina et fructu gratissimo. Sicque vere,

Illud, usu venire videmus: ut illis, id quod habere se putabant, (umbratile,) tanquam non Solidum et Sincerum, ex manibus eripiatur, iustissimè: et Corpora tractantibus, umbrarum omnis sit concessa honesta legitimaque Comprehensio et Cognitio. ΟΡΘΟΤΟΜΕΙΝ igitur oportet, (O Rex,) inter UMBRAM et CORPUS: et utriusque distinguere fines, vires, et usus, IUSTITIÆ Ille est Gladius, Regius, Imperatoriusque: cuius, ut alia multa, ita, et hoc, est præstare Divinum Munus. Et arte pofecto quadam, Interdum, Ipsi Sophi, UMBRATILES figuras, intra ipsorum. Corporum Sinuosos anfractus libenter admittunt: ne Asinis in Hesperidum Hortos, ruditer irruentibus, electissime præbeantur Lactuæ, cum illis sufficiant Cardui. Ignosces mihi O Rex, Mundum, de Iniustitia (ex Christi Auctoritate) arguenti. Neque hæc, ullo modo, hoc loco, hijs Temporibus, Tuæ præsertim commemorata Sapientiæ, Parerga censerì volo: immò ne Superflua quidem. Atque hæc hactenus. Hunc ergo meum MONADIS HIEROGLYPHICÆ Fætum (Conceptione quidem Londinensem, Natiuitate vero antwerpiensem) Vestræ Serenissimæ Maiestati, humillimè Offero: Obnixè à vobis contendens: ut eiusdem non Dedignemini, nunc quidem, fieri Compater: pòst verò, cum erit et ætate grandior, et fide sua Commendabilior, in vestra semper vobis ut servire possit præsentia. Pro vestro, deinceps Ego eundem haberi volo, O Clementissime REX: Qui, ut mihi visus es toto partus Tempore, Blandissimo Aspectu, ante oculos versari meos: ita, ea ratione, facilem mihi expeditumque huius in Lucem editionis, Laborem fecisti. Nam quem Annos prius contuos Septem, Mente gestavi mea, eundem, incredibili vestra ad tantum Intervallum, Vrtute Magnetica, duodecim solum Dierum spatio, in hanc communem Auram, placidissimè sum enixus. Quod, Fœlix, Faustumque esse, tum vestræ Augustæ Celsitudini, tum ardentissimis meis sinceritissimæ veritatis studijs, concedat illa sacrosancta TRINITAS, quæ (in MONADIS ineffabilis, Omnipotentia,

ante omnia Sæcula, fundata) vivit regnatque Sempiterna: Cui Soli, omnis Laus, Honor,
Virtus et Gloria, ab omni semper exhibeatur, decanturque Creatura. AMEN.

Antwepiae (Anno 1564. Januarij, 29)

TIPOGRAPHO

GUGLIELMO SILVIO

Amico Suo Singulari

IOANNES DEE LONDINENSIS

S. D. P.

Vides Amice mi, Optime Guglielme, Quam vnicè charas, præclarissimas habeam, Illustrissimi Regis MAXIMILIANI Virtutes. Cui ex Cordis mei Scrinijs, rara, excellentissimaque communico Arcana: Eaque ratione illi communicanda curavi, vt etiam Plures per Terrarum Orbem (tum in eius Honorem, propter eximias fuas, Regiaque virtutes: tum vt Alij ex illo sibi exemplum capiant: qui et Regijs Sapientissimè vacare Regnorum Guberneculis: & Philosophorum tamen, Sophorumque Stupenda cumulate addiscere Mystera potest) plures, inquam, eisdem frui, Vestra Diligentia & Fide queant. Duo igitur sunt, quæ mihi es orandus maximè: Vnum, Vt vbique accuratam meam, in Literarum Varietate, Punctis, Lineis, Diagrammatibus, Schematibus, Numeris, aliisque, Imiteris, (quantum possis) Diligentiam: Ne, Idem Ipsum, quod Ego (DEI NVTV) peperit ex omni parte bene Formatum Corpus, Typographiæ Negligentia, vel Mutilum, vel Deforme prodeat in Lucem: indignum, siquidem, Rege tanto: Indignum verè Philosophantium Studijs, & laboribus, quos in eo penitissimè, sepissimeque examinando, collocare volunt, Maximis. Cauere tamen satis, de isto, mihi Videor, infortunio, dum te elegi, istius nobiter Nati Operis Parentem Typographicum: qui omnibus modis, nitidum, suisque bene Compositum Membris, tua Curatura, emittere potes. SECUNDUM, quod à te præstari Optarem, haud est leue, id quidem: Nimirum, Promiscuo vt hominum generi, hoscè nullo modo in manus des Libellos. Non quod illis ego haec quidem, vel meliora, inuideam: Sed hoc inde oriturum mali Suspicans: Non solum, quod, ex isto labyrintho, se, Miseri nunquam extricare possunt: (Ingenium

interea, Incredibilibus Argentes modis; pessiméque suis prospicientes Rei familiaris negotijs) sed etiam, quod, alijs quoque, (illis inuium) vel, ingredi suadebunt Iter: vel de eiusdem, veluti illis explorata, certitudine, Sceleratissimè ementientur; Impostores, Hominumque Laruæ: Vel Denique, talia DEI MAGNALIA, Essee, Negare; Aut meam, rabidissimè accusare Sinceritatem audebunt: tunc tandem Desperabundi; Vt, primò, haec Mysteria, cum maxima Præsumptione aggressi sunt Temerarij. At in hoc tanti Momenti Negotio, Si te bene à multi iam annis noui (vel propter amicitia nostram: vel Reipublicæ Christianæ utilitatem; vel saltem propter Ipsius Sapientissimi MAXIMILIANI, Heroicas Virtutes, quae nihil Commune cum Hominum Vulgari habent Sorte) Cauebis, Spero, ne Fidem tuam frustra requisivisse Videar. Cauebis tu quidem: & per te, Honestissimi omnes Librorum Mercatores. Valeas.

(Ex Musæo nostro Antwerpiensi. Anno 1564. Januarij, 30)

IOANNIS DEE, LONDINENSIS,

Mathematicè, Magicè, Cabalisticè, Anagogiceque,

explicitata: Ad

SAPIENTISSIMUM,

ROMANORUM, BOHEMIÆ, ET HUNGARIÆ,

REGEM

MACIMILIANUM

THEOREMA I

Per lineam rettam, Ciculumque, Prima, Simplicissimaque fuit rerum, tum, non existentium in naturae latentium Inuolicris, in Licem Productio representatioque.

THEOREMA II

At nec fine Recta, circulus, nec sine Puncto, Recta artificiose fieri potest. Puncti proinde, Monadisque ratione, Res & esse cœperunt primo: Et quae peripheria sunt affectae, (quantaecumque fuerint) centralis puncti nullo modo carere possunt Ministerio.

THEOREMA III

MONADIS, Igitur, HIEROGLYPHICÆ, Conspicuum Centrale punctum, Terram refert, circa quam tum Sol tum Luna, reliquique Planetæ suos conficiunt Cursus. Et in hoc munere, quia dignitatem Sol obtinet summam, ipsum (per excellentiam), Circulo notamus Integro, Centroque Visibili.

THEOREMA IV

Lunae hemicyclium licet hic solari fit circulo quasi superius priusque, tamen solem tanquam dominum regemque suum observat eiusdem Forma ac vicinitate adeo gaudere videtur, ut et illum in semidiametri aemuletur magnitudine, (vulgaribus apparente hominibus) et in eundem semper suum convertat lumen SOLARIBUSQUE ita tandem imbui radiis appetat, ut in eundem quasi trasormata, toto disareat caelo donec aliquot post diebus ominio hac qua depinximus, appareat corniculata figura.

THEOREMA V

Et lunari certe Semicirculo ad Solare complementum perducto factum est vespere et mane dies unus. Sit ergo Primus, quo Lux est facta Philosophorum.

THEOREMA VI

SOLEM LUNAMQUE, rectilineae cruci, inniti hic videmus. Quae tum TERNARIUM, tum QUATERNARIUM, apposite satis ratione significare Hieroglyphica potest. Ternarium quidem ex duabus rectis et communi utrisque quasi copulativo puncto, Quaternarium vero ex 4 rectis, includentibus 4 angulos rectos. Singulis bis ad hoc repentitis sicque, ibidem, secretissime, etiam OCTONARIUS, sese offert; quem, dubito an nostri Praedecessores Magi unquam conspexerint notabisque maxime. Primorum patrum, et sophorum Ternarius magicus corpore, spiritu et anima constabat. Unde manifestum hic primum habemus Septenarium. Ex duabus nimirum rectis et communi puncto, deinde ex 4 rectis, ab uno puncto sese separantibus.

THEOREMA VII

Elementis, extra suas sedes naturales demotis, suos ad easdem reditus, naturaliter, per rectas facere lineas, dislocatae eorundem homogeneae partes, experientem docebunt. Absurdum igitur non erit, per 4 rectas, ab unico puncto individuoque in contrarias excurrentes partes, QUATUOR ELEMENTORUM, (in quae elementata singula, tandem resolvi possunt), innuere mysterium. Hoc etiam notabis, diligenter, geometras docere lineam ex puncti fluxu produci, nos hic simili ratione fieri monemus, dum elementares nostrae lineae, ex STILLAE (tanquam puncti physici) continuo casu (quasi fluxu) in Mechanica nostra producantur magia.

THEOREMA VIII

QUATERNARI, preaterea expansio cabalitica, secundum usitatae numerationis phrasim (dum dicimus, unum, duo, tria, quatuos) DENARIUM, summatim exhibet. Ut & ipse Pythagoras dicere solebat: «Nam 1, 2, 3 et 4 decem conficiunt». Non temere ergo CRUX rectilinea, (id est, vigesima et prima Romani alphabeti litera) ex fieri rectis iudicata, ad DENARIUM significandum, ab Antiquissimis latinis philosophis est assumpta. Locus etiam illi est ibidem definitus, ubi TERNARIUS, vim suam per SEPTERNARIUM ducens, illum statuit.

THEOREMA IX

HOC autem nostrae MONADIS, SOLI, LUNAEQUE, optime convenire videbitur: cum eorundem per 4 Elementorum Magiam Exactissima in suas Lineas fueris facta separatio. Deindeque per earundem linearum periphoras (ad omnes enim datae lineae magnitudinem, licet circulum describere per geometriae leges) circularis, in complemento SOLARI fuerit facta CONIUNCTIO. Tunc enim latere non potest, quantum nostrae MONADIS SOLI LUNAEQUE crucis Denaria inserviat proportio.

THEOREMA X

Dodecatemorii arietis omnibus est notissima, quae est in astronomorum usu (quasi acioaedes, acuminataque) figura ista. Ut et ab hoc caeli loco triplicitatis igneae notari exordium constat. Ad ignis ergo ministerium (in huius praxi Monadis) requiri significandum, arietis adiecimus astronomicam notam. Sicque breviter nostrae MONADIS unam absolvimus considerationem hieroglyphicam, qua sic volumus, unico contextu hieroglyphico preferri. MONADIS ISTIUS LUNA ET SOL SUA SEPARARI VOLUNT ELEMENTA, IN QUIBUS DENARIA VIGERIS PROPORATIO, IDQUE IGNIS FIERI MINISTERIO.

THEOREMA XI

Arietis Nota Mystica, ex duobus semicirculis, in communi puncto connexis constituta aequinoctialis nycthemerae loco aptissime assignatur. Viginti enim et quatuor horarum tempus, aequinoctii modo distributum, secretissimas nostras denotat proportiones. Nostrae dico respectu Terrae.

THEOREMA XII

Antiquissimi Sapientes Magi, quinque Planetarum, nobis tradidere Notas Hieroglyphicas: Compositas quidem omnes ex LUNAE vel SOLIS characteribus: cum Elementorum aut Arietis Hieroglyphico Signo. Veluti istas, quas hic videtis figuratas. Quas singulas modo Hieroglyphico, ex nostris prius iactis Fundamentis, non erit esplicare difficile. At primum de ijs quae LUNAE habent characterem, nos nunc paraphrasticè agemus: de solaribus deinde. Lunarum nostra Natura, dum per Elementorum scientiam, circa nostram sit semel reuoluta Terram, Saturnus mysticè dicebatur. Et eadem de causa, Iovis, quoque

habebat nomen: istamque retinebat figuram secretiorem. Et Lunam, tertia elementatam vice obscurius sic notabant. Quem, Mercurium vocare solent. Qui quam sit LUNARIS, videtis. Istum, QUARTA Revolutione produci, licet quidam velint Sophi: nostro Secreto proposito tamen, non erit id Contrarium: Modò Spiritus Purissimus Magicus, loco Lunae, τῆς λευκάνσεως, administrabit Opus & sua virtute Spirituali, nobiscum SOLUS, per Mediam quasi Naturalem diem sine verbis, Hieroglyphicè loquantur: in Purissimam simplicissimamque, à nobis praeparatam Terram, Geogamicas, istas 4 introducens; Imprimensque figuras: vel illarum loco, illam alteram.

THEOREMA XIII

Martis ergo Character Mysticus, an non ex soli et Arietis, Hieroglyphicis est conflatus? Elementalì (partim) interveniente Megisterio? Et Veneris, quaeso, an non ex SOLIS, et Elementorum Pleniorè Explicatione? Isti ergo Planetae, SOLAREM, respiciunt περιφορὰν Opusque Ανάζω πυρῆσεως: in cuius progressu sit tandem conspicuus Mercurius ille alter: Prioris quidem uterinus frater. Lunari scilicet Solarique Elementorum Completa Magia, ut expressissime nobis ipse Hieroglyphicus loquitur Nuncius, modo in illum oculos defigere, auremque illi praebere attentiorè velimus. Et, (Nutu dei) iste est Philosophorum Mercurius ille celeberrimus, MICROCOSMUS et ADAM. At Solebant tamen Expertissimi Nonnulli, huius loco graduque solem ipsum ponere. Quod nos hac nostra aetate non possumus praestare: nisi ANIMAM aliquam à CORPORE, arte Pyronomica Separatam, huic Operi Χρυσοκοραλλινῶν praefecieremus. Quod et factu est difficile: et propter Igneos, Sulphureosque quos secum adfert halitus, periculosissimum. Sed Illa, certè, ANIMA, mira praestare poterit. Nimirum, tum ad LUNÆ, discum, (vel MERCURII saltem) LUCIFERUM; Immò et

PYROENTA, indissolubilibus Ligare vinculis. Tum Tertio (ut volunt) loco, (id SEPTENTIARUM nostrum Complendum Numerum) SOLEM, nobis istum exhibere duorum Philosophorum. Istorum duorum Theorematum ARCANIS significandis. Videte, quàm exactè, quàm apertè, nostræ MONADIS HIEROGLYPICÆ, respondeat, ANATOMIA ista.

THEOREMA XIV

Ex Sole et Luna totum hoc pendere Magisterium iam clare confirmatum est. Huius, etiam Termaximus ille Hermes nos olim admonuit, eius patrem SOLEM esse afferens, LUNAM autem Matrem; nutriri vero scimus in Terra Lemnia. Radiis nimirum Lunaribus et Solaribus, singularem circa eandem exercentibus INFLUENTIAM.

THEOREMA XV

Solis proinde LUNÆQUE circa Terram labores, philosophis proponimus Considerandos. Huius quidem, quo modo, dum in Ariete versatur SOLARE Iubar: Ipsa tunc in Proximo (scilicet Tauri) signo, Lucis novam recipiat Dignitatem: Exalteturque supra innatas sibi vires. Quam (præ alijs notabilem magis) Luminarium, vicinitatem, caractere quodam mystico explicabant veteres: Tauri, insignito nomine. Quam, quidem, Lunae esse exaltationem, usque ab ipsa prima hominum aetate (inter Astronomorum Placita) memoriae esse proditum, notissimus est. At intelligunt mysterium illi soli, qui absoluti evasere Mysteriorum Antistites. Ut et simili ratione, VENERIS esse DOMUM dixere TAURUM: Casti nimirum Prolificique CONIUGALIS AMORIS: Sic enim ἡ φύσις τι φύσει τέρεται: Ut Magnus ille OSTANES in secretissimis suis recondidit Mysterijs. Solis vero, qua ratione, ipse post Aliquas sui luminis admissas Eclipses; Martium robur accipit et in eiusdem quoque Domo (nostro scilicet Ariete) veluti in sua

Triumphare dicitur EXALTATIONE. Quæ Secretissima Mystera, nostra etiam Monas clarissimè, perfectissimeque demonstrat: TAURI, quidem istaque hic est depicta Hieroglyphica figura et illa Martis: quam 12 et 13. Theoremate adduximus: quæ SOLEM recta in ARIETEM tendentem, indicat. Ex præsentī autem Theoria alia nostræ MONADIS sese offert Anatomia cabalistica: cuius ista vera Artificiosaque explicatio. LUNAE, SOLISQUE EXALTATIONES, MEDIANTE ELEMENTORUM SCIENTIA.

ANNOTATIO

Duo hic maximopere notanda esse Censeo: unum, quod Tauri Hieroglyphica ista figura nobis Greacorum Diphongum ov, exacte representet, primæ declinationis, gignitivam semper singularem Terminationem. Secundò, ex apta Metathesi Locali, dupliciter nobis ALPHA commonstrat: Circulo et Semicirculo Tangentibus solum, vel se mutuo (ut hic) secantibus.

THEOREMA XVI

Iam nobis de CRUCE paucis, ad nostrum propositum, est Philosophandum. CRUX nostra, licet ex duabus Rectis (ut diximus) et aequalibus illis quidem, confecta sit: non se mutuo tamen in æquales dissecant longitudines. Sed tum æquales, tum inæquales partes in Mystica nostræ crucis distributione, haberi volumus, innuentes, in binarium ita sectarum potestate (eo quod aequalibus sunt magnitudinis) Crucis quoque æquilateræ, virtutem latere. Generalissime enim Cruce ex aequalibus rectis fieri iussa æquali profecto linearum decussatione, eam fieri debere, NATURAE quaedam requirit IUSTITIA. Secundum cuius Iustitæ normam de Aequalatera CRUCE (qualis est latini alphabeti litera vigesima prima) hæc quæ sequuntur perpendenda proponemus. CRUCIS, Rectilineæ, Rectangulæ et Aequalateræ si per commune sectionis punctum et contrapositos

angulos recta ubicumque transire concipiatur, ex utraque parte sic transeuntis rectae, Crucis factae partes sunt omnino similes et aequales quorum figurae eadem sunt cum illa Latinorum litera quae vocalium esse QUINTA, recepta est et ad QUINARIUM denotandum apud Antiquissimos Latinorum Philosophos usitatissima erat. Idoque haud absurde ab illis esse factum Censeo, cum Denarii nostri Conformis Medietas. Ex illius ergo figurae, sic duplicatae (ex hac hypothetica crucis divisione) prouenientis, ea ratione, qua QUINARIUM utraeque representant monemur, Radicum Quadratum hic imitari Multiplicationem Quadratam: (quae hic mirabiliter in numerum circulare incidit, scilicet Quinarium) unde produci certo constat, viginti et quinque: (ut et ipsa litera, est vigesima: et vocalium quinta). Nunc vero alium situm ipsus CRUCIS aequilaterae considerabimus istum numirum qui nostrae MONADICAE CRUCIS situi est similis, similem autem hic fieri Crucis divisionem bipartitam (ut supra) supponimus. Unde alterius literae, latini alphabeti, se monstrat etiam geminata figura: erecta una, eversa et aversa altera que ex latinorum vetustissima consuetudine ad QUINQUAGINTA repraesentandum, in usu est istud inde mihi primo statutum videtur eo quod sit et illa quidam QUINARII nota ex nostro crucis DENARIO essentialiter desumpta at eo situ locatae quo omnium Mysteriorum Maximi ipsa Crux est Consummatissima Hieroglyphica Nota: unde DENARII Potestatem in sua QUINARIA virtute COMPLECTENS, QUIQUAGENTARIO NUMERO tamquam suo Partui gratulatur. O, MI DEUS, QUANTA HAEC MISTERIA? Et Nomen illi EL. Immò et hac ratione quoque, ipsam Denariam Crucis virtutem respicere videtur, quod Medio Loco, inter primam Alphabeti Literam, & Ipsum Crucis Denarium sit constituta: et ab alterutra ipsa sit ordine Decima. Et cum in CRUCE, duas eiusmodi integrales esse partes ostendimus (Naturalem nunc solum earundem vim Considerantes) CENTENARIUM inde excrescere apertissimum

est. At si, ex Quadratorum Lege Mutuam patiantur Multiplicationem, Bis Mille, Quingenta nobis reddent: Qui huius Quadratus, ad prioris circularis numeri quadratum, comparatus: et eidem applicatus, etiam CENTENARIUM, denuo restituent: ut et ipsa CRUX, secundum sui DENARII Potentiam, se explicans, CENTURIO esse agnosceretur: Et tamen cum sit nisi unicus ipse CRUCIS character: Unum quoque representat: Hic ergo (praeter alia notatu degnissima) ab istis CRUCIS theorijs, Numerare et progendi iam sumus edocti ad hunc modum: Unum, Decem, Centum. DENARIA sic nos Evehente CRUCIS Proportionem.

THEOREMA XVII

Ut ex sexto Theoremate liquere potest, in CRUCE nostra QUATROR rectos considerari, angulos, Quorum unicuique QUINARII attribuere significationem, praecedens doceret Theorema: Uno quidem locatis modo, at alterum obtinentibus situm, idem Theorema QUINQUAGENARII Numeri, fieri Hieroglyphicas Notas amitti, Ita evidentissimum est CRUCEM DENARIUM notare vulgariter: Tum in Latini Alphabeti ordine Literam esse vigesimam primam: (unde est factum, quod, sophi, mecubales, dicti, viginti unum, per eandem significabent literam). Denique et Simplicissime considerari posse ut una nota esse conspicitur qualemcumque et quantamcumque aliam habet potestatem. Ex quibus omnibus, optima demonstratione Cabalistica concludi posse videmus CRUCEM nostram Myst[er]is, DUCENTA, QUINQUAGINTA DUO, mirabili Compendio Significare posse. QUATER enim QUINQUE, QUATER QUINQUAGINTA, DECEM, VIGINTI UNUM et UNUM, DUCENTA QUINQUAGINTA DUO efficiunt. Quem Numerum duabus adhuc aliis rationibus ex praemissis ut nos elicere possimus, ita cabalisticis tyronibus, eundem commendamus

erendum brevitari sic studentes, eiusdem tamen magistralis numeri variam productionem artificiosam Philosophorum dignam Iudicantes Consideratione. Nec vos aliam hic Mystagogiam celabo memorabilem CRUCEM nostram in duas alias literas se distribui passam videntes. Si, ut numeralem earundem virtutem quodam modo perpendimus prius, ita vicissim nunc ILLARUM VERBALEM VIM, CUM ipsa Cruce, conferemus, quod inde oriatur LUX, VERBUM finale et Magistrale (ex illa ternarii, in unitate verbi, conspiratione et consensu) cum summa Admiratione, intelligemus.

THEOREMA XVIII.

Ex duodecimo et decimotertio Theorematis nostris colligi potest, caelestem Astronomiam, inferioris esse quasi Parentem et Magistram. Subleuatis ergo in caelum oculis cabalisticis (ex Predictorum Mysteriorum Theorica Illuminatis) talem ad amum nostrae Monadis, conspiciemus anatomiam: In Naturae lumine, Vitaque sese sic nobis semper ostendentem. Et suoapte Nutu, Secretissima huiusce physicae analyseos Mysteria, apertissimè detegentem. OVI autem figuram, isti Coordinationi adhibere: caelestis Nuncii, dum Theoricos, caelestesque Gestus, sumus aliquando Contemplati, suimus edocti. Ovalem enim, Ipsum, in Aethere, suo Cursu Figurare Circuitionem, Astronomis est notissimum. Et, cum Dictum, Sapienti, sat esse debeat: En nostras huius caelestis consilij interpretationes (sic Hieroglyphicè propositas) praedictis omnino consentaneas. Hinc Moniti, discat miserrimi Alchimistae, suos agnoscere errores varios: Quae sit Albuminis Ovorum aqua, quod ex vitellis oleum. Quae Ovorum calx: hinc, Imperitissimi illi Impostores, cum illorum Desperatione, Intelligant: Aliaque his similia perplura. Hic proportionatum a natura, fere totum habemus. Hoc illud est ovum aquilinum, Quod scarabeus, olim disruptit: propter Iniuriam quam timidis brutisque hominibus, illius avis

violentia et crudelitas intulit: Licet ad scarabei antrum (auxilij implorandi gratia) aliquibus confugientibus, non inde tamem liberatis: Sed ipse solus Scarabeus, hanc sibi vindicandam Iniuriam, modis omnibus, existimans: Ut erat alacri animo, constantique voluntate paratus, ita, ad id praestandum, nec viribus carebat, nec ingenio: Unde varijs conatibus aquilam dum persequeretur Scarabeus: Subtilissima fimi arte usus, illius tandem (vel in Iouis gremio depositum) Ovum, in Terram praecipitari adeoque disrumpi effecit. Et eadem, aliave ratione Aquilinam tandem totam Speciem, è Terris delevisset Scarabeus, nisi, (malum tatum praecavens) Iupiter, effecisset: Quo Anni tempore, Aquilæ sua sollicite curant ova, ulli ut circumvolitent Scarabei. Illis tamen consulerem, qui istius Avis vexantur Crudelitate, ab ipsis Heliocantharis (qui ita certis Temporum Curriculis latitando vivunt). Utilissimam artem discere: Quibus, iam licet non faciant ipsi, esset tamen longè gratissimum, suis indiciis et Signis, de suo inimico, Vindictam sumi posse. Et hic (O Rex) non Aesopum conari me ut agam, Sed Oedipum, faterentur, si adessent, illi, quorum Mentis ita de Naturae Summis Fabulari Mysterijs, primo subiuit. Esse profecto quosdam novi, qui Scarabei Artificio, Si haberent Dissolutum aquilinum ovum, Calcem eiusdem, cum Albumine puro, totoque Temperarent primo. Deinde illud Temperamentum, Vitelli liquore toto, artificioso ordine, oblinirent: voluendo, revolvendoque: Ut Scarabei suas conglomerant Pilas. Ita, magna fieret Ovi Metamorphosis: Iam scilicet disparente, et quasi involuto Albumine ipso (illis multis veluti Helicis Revolutionibus factis) in ipso Vitellinoso Liquore. Cuius Artificii, tale Hieroglyphicum signum, Naturae haud displicebit Oeconomis. Saeculis prioribus, multum esse à gravissimis, et Antiquissimis celebratum Philosophis, tale Artificium, legimus certissimum et utilissimum. Anaxagoras certe, ex hoc Magisterio, excellentissimam, Post, fecit Medicinam: ut in suo περί των ειστροφων φυσικων libello

videre licet. Nihil hic esse extra nostrae Monadis virtutem Hieroglyphicam, qui animum istis Mysterijs sincerius applicat, clarissimè perspiciet.

THEOREMATA XIX.

Quod Sol et Luna, omnibus cæteris Planetis, longè fortius, in inferiora cuncta Elementata Corpora, suas Corporales infundant Vires: Omnium rerum corporatarum Analysis Pyronomica, Effectu demonstrat: Lunae dum refundunt Aqueum Humorem. Solisque igneum Liquorem: quibus, Rerum Mortalium Sustentatur Corpulentia terrestris.

THEOREMATA XX

Licet satis bona ratione Hieroglyphica, supra, demonstravimus, elementa, per Lineas Rectas significari: Hic tamen de crucis nostrae puncto quasi centrali, exactissimam dabimus Speculationem. In Ternarii nostri confideratione, nullo modo, illud abesse potest: in eo nostri binarii situ. Si enim abesse posse, quis (diuinae imperitus matheseos) contenderet: Abesse Supponat. Non erit ergo Reliquus, binarius noster: sed emerget quaternarius: Puncti illius Ablatione, Discontinuata Linearum unitate. At Binarium esse Reliquum, una nobiscum Supposuit aduersarius noster: Erit ergo et Binarius, idem, quaternarius, idem et Quaternarius, eadem consideratione. Quod, τῶν ἀδυνατῶν esse, satis est Manifestum. Adesse ergo ex omni Necessitate, debet illud punctum, quod cum binario, nostrum Constituat ternarium: nec aliud quid eius loco substitui potest. Non tamem est de Hypostatica Proprietate, ipsius binarii: nec aliquo modo Pars. Quod non sit Pars, hinc demonstratur. Omnes Lineae Partes, sunt Lineae. At illud esse punctum, hypothesis confirmat. Non ergo binarii illius pars aliqua: unde multo minus de Hypostatica Proprietate Binarii. Proinde Notandum est maximè, quod et Propriam Habeat Hypostasim: Et nihilo minus tamen, in ipsis nostri Binarii Longitudinibus

Linearibus, contineatur. Et quia, sic, utrisque videtur esse commune; quandam et ipsum, binarii, secretam recipere imaginem censer. Unde, quaternarium, hic, demonstramus, in ternario quiescentem. Tu, mi Deus, mihi ignoscas obsecro, si erga tuam nunc Peccauerim Maiestatem, tantum, in publicis scriptis reuelans mysterium. Sed spero, quod, soli, qui sunt digni illud vere Intellinget. Pergamus nunc ad nostrae Crucis, illum, quem assignavimus quaternarium. Ubi an Abesse illud punctum potest, quod ibi repraesentatur perpendamus. Mathematica profecto nos docet remoueri posse. Nam non solum, eo separato, reliquus est noster quaternarius: Sed cum distinctior longe tum clarior in omnium oculis erit factus. Nulla suæ substantialis proportionis recedente parte: sed superfluo et confusionis puncto, sic damnato, reiectoque. O Omnipotens Diuina Maiestas, Quantam tuis apicibus, et iotis, in tua descriptis, dispositisque lege in esse sapientiam, et ineffabilium mysteriorum infinitatem, confiteri cogimur mortales: Si maxima terrena secreta et arcana unius istius puncti, a me, (at in tuo lumine) locati et examinati, indicio vario, explicari et fidelissime demonstrari queant? Puncti videlicet in ternario diuino, nullo modo superflui: at puncti in quatuor elementorum regno, considerati, faeculenti quidem, corruptibilis, tenebricosi. O terque, Quaterque Beatos illos, qui illud ternarii, (quasi copulativum) adipisci possunt punctum et illud quaternarii, tetrum et superfluum, amandare tenebrarumque relinquere principi. Sic, ad claritatis niveae et albarum vestium ornamenta perueniemus, O MAXIME: Quem, Deus, (ista Mystagogia, aut Austriacæ Familiæ aliquem) Maximum, aliquando faciat (vel me quidem in Christo Dormiente) ad sui Tremendi Nominis Honorem: in istis, Istis, (Puncti in terris superflui) abominandis Tenebris et ulterius intolerabilibus. Sed ne Ipse iam Superflua (non apto scilicet loco) profundam verba, intra Propositi mei Cancellos, actutum, nunc me recipiam. Et, quia, illis Sermonem iam absoluerim, quorum Oculi in eorum Sedet

Corde: Nunc mihi ad illos conuertenda Oratio est, quorum Corda in eorum adhuc promineant oculis. Quae hoc loco diximus, en crucis adscripta figura, aliquo modo repraesentare potest. Primum, de puncto, in binis Aequalibus Lineis (aequaliter et inaequaliter decussatis) necessario; Veluti hic ad A deinde ad B (quasi quadam Puncti superflui ablati, Vacuitatem) distinctas videtis, quatuor rectas Lineas: à puncto, prius illis communi, separatas: Illis, inde, nullo eueniente sui detrimento. Ista est via, per quam Nostra Monas per Binarium, ternariumque progrediens, in quaternario Purificato, sibi Uni restituatur, per Aequalitatis Proportionem. (Quodque enim Totum, suis omnibus partibus est Aequale). Hocque dum fiat, nihil interea Externarum admittit, Nostra Monas, Unitatum, Numerorumve: Cum ipsa sibi exactissime sufficiat: Suis absolutissima Numeris omnibus. In quorum Amplitudinem, tum Magicis diffunditur modis: tum non vulgari, post, artificis industria et maximo ipsius Monadis Emolumento (in Dignitate et Potentia) ad suam Primam Propriamque restituitur materiam: interim, quae ad genuinam haereditariamque suam non Spectant Proportionem, omni modo et diligentia, reffectis, reiectisque in aeternum Faecibus.

THEOREMA XXI

Si, Quod in nostra monadis recessibus interius latebat involutum, esset id quidam in lucem erutum, commutatisque vicibus, eiusdem partes primæ, quasque exteriores loco includerentur medio, qualis inde fieret monadis philosophica trasformatio superius vidistis: Nunc verò, Mysticæ Monadis, aliam vobis proponemus localem commutationem partibus illis, unde superiorum planetarum characteres nostri hieroglyphici sese nobis obtulere prius, sursum hic erectis: eaque ratione reliquis quidem deinceps planetis, eum singulis sortientibus Situm, quæ illis Plato adscribere fere visus est: si rite ex positione

ista desumantur. In ipso enim acumine arietino, coueniunt Saturnus, Iupiter, Mars deinde descendendo, crux Veneri Mercurioque inseruit. Sequuntur tandem ipse Sol et infima Luna. Sed hæc alio sunt ventilanda loco: Nostræ tamen monadis hosce nolui celare Thesauros Philosophicos. Sicque unam rationem dare, cur ita Monadis mutari Situm, cosultum duximus. Sed, alia, quæ in rem vestram esse scio, Videte, Auditeque, de hoc situ, maiora paucisque explicanda. Distribuamus igitur Monadem (hoc nouo modo locatam) in anatomica membra B D C. Ubi in illo nouo Ternario, ipsius D et C vel rusticis quidem, sunt notæ figuræ. At ille tertius, qui per B designatur, non tam facilè a cunctis cognosci potest. Nec illud quidem leuiter est considerandum illas notas formas, D et C, separatas diuersasque ab illo B, ostendere essentias: Secundo, quod istius C, cornua, deorsum, quasi Terram versus conuerti conspiciantur: Et, D illius, ea pars quæ ipsam C, illuminat, versus terram, deorsum scilicet respicit, in cuius solius centro est visibile punctum, vere Terrestre. Et quod utraque Denique, D et C, ad inferiora magis loca, hic suum hieroglyphicum faciunt indicium, quam B. Terra, autem, Hieroglyphice, stabilitatem et fixationem notare nobis potest. Qualia ergo sint D et C, inde, concludendum relinquo. Unde etiam magnum nunc notare secretum, quisque potest de priore sol et luna, quæ diximus, quomodo hinc interpretatione plenior et maxime necessariam, recipere possunt. Illis, quidem, usque in hunc locum, sursum positis: lunaribusque cornibus sursum elevatis. Sed de hoco Satis. Tertii nunc illius, iuxta nostræ Hieroglyphicæ Artis Fundamenta examinemus naturam. Primò, in capite gestare videtur Lunam duplicem. Vel Arietem, nostrum, (sed inuersum Mystice.) Deinde Elementorum habet annexum Hieroglyphicum Signum. Quantum ad Lunam Duplicatam attinet: Sic (iuxta materiam subiectam) explicari potest: Duplex Lunæ gradus. De gradibus loquimur illis, quales Physices periti quatuor tantum inter omnes possint inuenire creatas naturas:

Nimirum esse, vivere, sentire et intelligere. Primos ergo Duos istorum Gradus, huic inesse annotantes. Sic dicemus: Luna existens, viva. Vitam verò quidam per motum definiunt. Motus, autem, sex sunt notissimæ species, crux certe quæ adiuncta est: Elementorum hic requiri notat artificium. Præterea, in istis nostris theorijs, ut semicirculum, lunæ esse hieroglyphicum sæpissime tradidimus: ita et integrum circulum, Solem significare: hic autem, duo sunt semicirculi, sed separati (ad commune punctum copulati tamen) qui, si apte coniungantur (ut arte possunt quidem) solarem nobis circularemque referre possunt plenitudinem. Ex istis simul consideratis, sic summam, hieroglyphice, nos hanc proferre posse sententiam patet. Luna existens viva, per elementorum tractanda magisterium: habens potentiam, ut solarem repræsentet plenitudinem, suis simul arte connexis semicirculis. Compleatur ergo: Fiatque ille, (quem diximus) circulus ut, per E literam, hic annotavimus. Memores ergo simus, primo hunc Solarem gradum, non Natura nobis fuisse obvium sed artificialem, factitiumque iam esse: Et eum quidem, nobis se obtulisse primo aspectu et natura sua, (videlicet in B) suis patribus laxis, fluxis, dissolutis: non solide in solarem speciem compactis. Deinde horum semicirculorum semidiametrum, non esse æqualem semidiametro D et C (nobis ita natorum et omnibus notissimorum) sed minore multo. Unde clarum est non esse tantæ amplitudinis, istum B, quantæ sunt ipsa D, C. Et hoc bene nobis cofirmat E ipsum: opere isto circulari, à B, in Speciem E, promotum. Nam inde nobis emergit Veneris solum Character. Apertum ergo iam fecimus, hieroglyphicis istis syllogismis: Ex B, non sperandum nobis verum D. Nec fuisse primo veram C, in natura B: Unde non fuit Vera, Luna, viua. De vita ergo et Motu quoque iam dubitare potes: an verè et naturaliter, sic se habeant: Erunt tamen, ut iam prudentibus elucidavimus, ad minus analogica quidem, omnia, quæ simili (de B) dicuntur phrasi: ut et superius, quæ de C et D perstrinximus

breuiter analogice. Ipsi B, cum suis Elementis, proprie conveniunt. Quæ de Arietis etiam natura adduximus, huic debent exacte convenire: cum eandem illius in suo capite (licet inuersam) gestet figuram: ut et Elementorum eadem Nota Mystica, ipsi B adiungitur.

Cum ex hac tamen anatomia videmus, quod ex unico nostræ monadis corpore (tali dissecto arte) iste novus prodierit Ternarius: Inde, dubitare non possumus, Eiuscemodi membra, mutuam inter se amplexura sympathiam: unionemque monadicam absolutissimam, sua quasi sponte, admissura. Ita in istis membris, magnetica virtus est vegeta.

Hoc denique annotare libuit, (animi recreandi gratia). Quod ipsum B, nobis, rusticas, tot literas expeditissime exhibet, quot puncta, sursum, conspicienda in capite et quasi fronte gerit istas scilicet tres. Ut et alias quasi sex: (Summatim autem ter tria) rudes valde et impolitas, fluxilex volubilesque. Ut, ex semicirculis, uno vel pluribus, easdem esse factas videtis. Sed expertorum literatorumque manibus inest firmior stabiliorque istas formandi literas Ratio. Mysteriorum infinitatem, hic ante oculos habui: sed volui cum hoc Ludicro, istam abrumpere Theoriam. Haud parum tamen me quorundam promoturum conatus intelligo: Si (priori suo Mystico situi, restituta nostra Monade: Compositisque Artificiose singulis Membris). Saltem moneam eosdem, horterque accuratius, nunc eruere, quis fuit ignis ille arietinus triplicitatis primæ. Quis ille Aequinoctialis noster. Quis in causa fuit, quod Sol exaltari poterat supra vulgarem suum gradum. Ceteraque priora, perplura, secundis sapientioribus percurrere meditationibus. Sed nos ad alia nunc properantes, digito tantum alijs iter indicare, (cui insistere debeant) non amice solum, sed etiam fidelissime voluimus: Mysteriorum (ut diximus) aliorum tacentes tamen infinitatem conspicuam.

THEOREMA XXII

Nondum nostrae Monadis esse exhausta mysteria, facile liquebit. Si secretiora quaedam Artis Sanctae vasa (omnino Cabalistica illa quidem) solis initiatis reuelanda ex eiusdem Monadis officina caute desumpta, Vestrae Serenitati Regiae, nunc exhibuerim spectanda. Omni ergo nexu nostrae Monadis Sapienter Dissoluto, singulis partibus (distinctionis gratia) literales addamus notas, prout hic factum videtis. Monemus ergo α esse vas quoddam Artificiale, ex A et B, cum (utrisque communi et iam manifestando semidiametro) ipsa quidem M factum, et, ab Alphabeti Graeci, prima, hac litera sola partium locali metathesi diuersum, ut videtis: ex recta enim, circulo et semicirculo, veram illius mysticamque iam nos primi docemus symmetriam (licet supra etiam monuimus, ex circulo et semicirculo eandem fieri posse omnia tamen in idem recidunt propositum Mysticum). At λ et δ primum quidem aliorum sunt vasorum quasi imagines (λ , quidem vitrei, δ autem terrei). Sed, secundo in loco λ et δ nos memores reddere possunt cuiusdam pistilli et mortarii ex materia (verè) tali praeparandorum, ut cum eisdem margaritas artificiales non perforatas, laminas chrySTALLINAS, beryllinasque, chrysolithos, rubinos deinde praetiosos, carbuncolos et alios rarissimos lapides artificiales in pulveres subtilissimos conteramus. Denique quod cum ω notatum videtis, vasculum est, mysteriorum Plenissimum et ab ipsa ultima alphabeti Graeci litera (ad suam primam institutam Mystagogiam nunc restituta) vel sola partium manifesta Metathesi locali discrepans ex duobus et illa quoque constante Semicirculis. De vulgaribus praeterea necessarijs vasorum, tum figuris, tum (unde fieri debent) materijs, non est necesse hoc loco, ut verba faciamus. Hoc tamen erit considerandum, α , sui muneris obeundi captare occasionem ex secretissimo brevissimoque spiraculi artificio: Et (...) Tyronibus Operis expeditissimum eliciet primordiale specimen: Interim dum subtiliora praeparandi, artificiosior illis innotescat via. At in λ , vitreo (in praecipui sui officij functione) Aer

omnis externus, Ventusue damnum adferret magnum.

ω, autem, OMNIUM EST HORARUM HOMO.

Πορισμα

Τῆς ιερᾶς τεχνες, Quis iam non potest suboderari, suavissimos et saluberrimos Frunctus vel ex istarum (dico) duarum tantum literarum enascentes Mystério? Quorum aliquos quasi in speculo videndos, propius aliquantulum ex nostris Hesperidum hortis) adducemus: Nihil, extra nostram Monadem, in medium ferentes. Ipsa enim quæ in Alpha apparet recta linea, omologa illi est, ex postremæ Anatomiae, crucis parte ea, quæ Litera M, notatur: reliqua etiam, inde patere potest, unde huc veniant.

His paucis, tales me scio non αφορμάς solum, sed Apodixes dare illis quibus igneus intus viget gliscitque vigor et cælestis origo: ut facilè iam magno Democrito aurem præbeat: το της ψυχης prædicenti (...) και πάντος μόχθου λυτήριον κατασκευασα βουλομένοις, non Μυθικον esse hoc Dogma sed Μυσικον et Arcanum, ut et illi assetuit λογο δημιούργου κόμου μεθοδέυεται ινα ο θεόφρων και ο θεογενής ανθρωπος, διά της ουθειας εργασιαις και θεολογιαις, και μυσικαις λογιαις μαθη.

THEOREMA XXIII.

Symmetrias, iam, in nostræ Monadis Constructione Hieroglyphica, a nobis obseruatas et ab illis, qui in Annulis, Sigillisue eandem gestare, vel aliter habere, gratum erit, obseruandas: accuratè annotatas hic exhibemus. In Nomine Iesu Christi, pro nobis Cruci, affixi (cuius Spiritus celeriter hæc per me Scribentis, calamum tantum, esse Me, et Opto, et Spero). Ex Elementorum nostra Cruce, omnes istas nunc petemus mensuras. Vel hac quidem (iuxta propositi argumenti materiam) ratione: Quod, sub Cælo Lunae, quidquid suæ Generationis capit Exordium, vel ex Quatuor Elementis est

coagmentatum: vel Elementaris ipsa quidem est Essentia. Idque modis varijs, non vulgariter cognitis. Et quia in nulla re Creatâ, Elementa ipsa, in Aequali sunt proportione, vel virtute: Arte tamen ad Aequalitatem, in quibusdam (ut Sophi norunt) rebus, reduci possunt: in Cruce nostra, Aequales et non Aequales constituimus patres. Quod, alia ratione, Idem et Diverum: siue Unum et Plura, nominare possumus. Crucis æquilateræ, (ut supra monuimus) in Secreto, admittentes Proprietatem. At, Si symmetriarum hic positarum, rationes (quas tenemus) singulas, in medium adduceremus; vel aliter, quam (Sapientibus) abunde satis, per totum fecimus opusculum, demonstrarem causas. Propositi nostri, Limites, nobis, haud temerè præscriptos, transiliremus.


Accepto, in plano, puncto aliquo: Veluti A per idem, utrinque ducatur recta satis longa, quæ sit C, A, K. et super lineam K, C, a Puncto A, erigatur perpendicularis: Utrinque ad sufficientem producta Longitudine (in infinitum, solent dicere Geometræ; bene, incommoda præcauentes). Quæ admittatur esse D A E. Iam in A K: accipiatur punctum, ubi libet et sit B. Habita primum nunc A, B, (nostri scilicet operis communi Mensura) huius, tripla capiatur, ab A versus C et ponatur esse A C. Ipsius A B, dupla fiat A E. Et Dupla ipsius A B, sit A D. Ita quod tota D E, sit ipsius A B, Quadrupla. Sic ergo nostram Crucem elementalem confecimus. Ex A B, A C A D, et A E. Linearum Scilicet quaternario. Nunc, ex B K, resecetur recta, æqualis ipsi A D et sit B I. Centro I, et Intervallo I B, describatur Circulus. Qui sit B R secans rectam A K in puncto R. A puncto R, versus K, rescindatur recta æqualis ipsi A B et sit R K. Ad punctum K, educatur utrinque, (ad angulos rectos, cum ipsa A K) sufficientis longitudinis linea recta: quæ sit P, K, F. Ab ipso K, puncto, versus F, resecetur recta, ipsi A D æqualis: Et sit K, F. Centro deinde K, et intervallo K F: describatur semicirculus F, L, P, ita quod F, K, P, sit eiusdem Diameter. Tandem ad punctum C, ipsi recta: A, C, ducatur Perpendicularis,

utrinque, ad longitudinem sufficientem extensa et sit O, C, Q. Postea, ex linea C, O, et ad punctum C, accipiatur recta, æqualis A, B, lineæ: et sit C, M. Centro M, et interstitio M, C, describatur semicirculus C, H, O, cuius Diameter sit C, M, O. Et simili denique ratione, ex C, Q, recta, et ad Punctum C, resecetur linea æqualis ipsi A, B et sit C, N. Centro igitur N, et longitudine N, C, fiat semicirculus, C, G, Q. Cuius, C N Q sit Diameter. Iam Asserimus requisitas omnes, in nostra Monade, Symmetrias, explicatas, descriptasque esse.

Monere tamen mechanicum libet: C, K, totam lineam novem esse talium partium, qualium, nostra fundamentalis, A B, una est. Unde alia via, ille ad hoc idem opus absoluendum accedere potest. Deinde diametros, semidiametrosque omnes, obscuris hic (ut loquuntur mechanici) lineis designari debere. Nec ullum visibile relinquendum Centrum: excepto Centro Solari quod, hic, litera I, notatum videt. Literasque adiungendas nullas, Tum ad Ornatum, (non Necessitatem aliquam Mysticam à nobis ea ratione, iam considerandam) peripheriæ solari, latitudinem superficialem (intrinsicus parallelo uno descripto) mechanicus adijcere potest. (Parallelorum vero distantia, per quartam quintamve parte, A, B, vel circiter, fieri potest). Lunari autem, illam tribuere Speciem, qua solet prima sua, post suam cum Sole Coniunctionem, in Cælo Apparere: videlicet Corniculata admodum. Quod fiet, si à K puncto, versus R, accipiatur illa, (qua diximus) quarta, quintave pars lineæ A, B et super eius lineæ sine, tanquam Centro, semidiametro vero Lunari, trahatur ista secunda Peripheriæ pars, ad utrunque prioris semicirculi contactum nitidum. Simile quid ad M et N puncta fieri potest: erectis ibi perpendicularibus in quibus pars, ipsius A B, sexta, vel minor accipiatur: ubi, facto centro, prioribus autem M, C, et N, C, semidiametris, ducantur extrinsecus, illi secundi, quasi semicirculi. Per ipsas denique, nostræ Crucis rectas, utrinque possunt parallelæ

protrahi à medijs per octauam, vel decimam partem ipsius A, B, distantes: Ita ut nostra Crux ex quatuor Superperficiebus quasi Linearibus, ea ratione conficiatur quarum latitudo, sit quarta vel quinta pars ipsius A B, rectæ. Hæc Ornamenta, apposita figura, volui aliquo modo adumbrare. Quæ omnia, unusquisque, pro sui animi sententia, facere potest: modo interea, nostris Mysticis Simmetriis, nulla (vel minima) inferatur iniuria: Ne, ea quidem negligentia, temporis tandem progressu, rearum istarum (et maxime necessariarum) Commensurationum Hieroglyphicarum perturbetur, pereatue Disciplina noua: longe amplior Maiorque quam hoc libello, eandem vel potuimus, vel voluimus quidem explicare. Ut Temporis Filia, Dei nutu, docebit Veritas.

At, quæ cuius esse obuia possunt, in istis nostræ Monadis Symmetriis sese exerceti, methodice iam quædam, ob oculos ponemus. Primum quidem ordientes, a nostræ Crucis. Linearum Quaternario eo habito respectu, quo, Quatuor esse Lineas, simpliciter enuntiare, quis potest. Deinde de Earundem linearum Quaternario prout peculiarem, Mysticamque alio modo habent partitionem et rationem. Tertio, Numeris, quos vel isto loco, vel ex alijs, per totum libellum, Theorijs, artificiose elicuimus, utilia quædam a Deo in Natura, esse destinata Officia, nonnullis monstrabimus exemplis: aliaque opportunis inseremus locis quæ fructum haud exiguum ferent, probè intellecta: hæcque brevissime absoluemus.



QUATERNARIII PYTHAGORICI

Omnis possibilis Metathesis, 24


Summa Pythagorica, 10

Omnino partium additio, dat 30

Noster Metatheseos Canon.

Naturali ordine, à Prima Monade, descriptis quocumque Numeris: Si à Primo ad Ultimum, fiat Continuata multiplicatio: ut, primi in secundum: producti in Tertium: illiusque producti in quartum: similique modo ad ultimum: productum ultimum, omnem possibilem metathesim in illis tot locis, determinat. Parique ratione, in quibuscumque, tot diversis rebus: Hanc ego Operationem, tibi (O REX) plurimum commendo: tum in omni Naturæ examinatione, tum in alijs Reipubl. negotiis utilissimam. Hac ego in Hebræorum Tziruph (siue Themura) cum maxinta voluptate, uti soleo.

QUATERNARIO ARTIFICIALE




Continuata multiplicatio dat 12

Simplex additio dat 8 (7+1); 7(3+4)

Omnino dae partium additionis summa est 24.

Non sum Equidem Nescius, perplures alios, ex Quaternarii, Arithmetica Virtute, et Formalitate, in lucem adferri potuisse Numeros. Sed qui istis, Naturæ evolvi, illustrarique

obscuritatem magnam, non deprehenderit: maiori eorum multitudine, obtundi suum, non acui sentiret ingenium. Nostris ergo Numeris (ut sumus polliciti) quantum insit Auctoritatis, in Elementis ponderandis, in temporum mensuris definiendis, denique in Rerum Potestati et Virtuti, certis præscribendis gradibus, ex sequantibus id perpendendum exhibemus schematibus.



Ex istis Schematibus, plura elici possunt: (si penitus considerentur) quam apertis par est proferre verbis. Hoc tamen præ ceteris monemus singulare unum, (a nobis etiam Primis una cum tota hac nova evulgatum arte) rationem hic in medio esse positam, ob quam, Quaternarius, vel Denarius, numerationibus finem imponit quandam: eamque causam quam attulere maiores nostri, non fuisse absolutam exactamque asserimus: sed istam qua nunc narrabimus. Postquam ista Monas, est sibi integre, pleneque physiceque restituta, (tum quidem est Monas, unitissima, Magorumque iudicata Unitas) neque in Naturæ, neque ullius artis est potestate, eandem sæpius quam quater, per Supercælestes Revolutiones, ad progressum ullum, motumue faciendum impellere: (Ac inde progignitur Ille, quem nos ob eminentiam suam, sic notari volumus) Idque ea de causa, quod nec in Elementali mundo, nec Cælesti, nec Supercælesti, sit aliqua Potestas, creata influentialis: Qua, tunc non fuerint absolutissime Ditata et Dotata.

Cuius, hunc verum effectum, quatuor simul (olim) Philosophantes Clarissimi Viri, Opere sunt consecuti: Unde, diu, Maximo Rei Miraculo Attoniti, tandem ad Dei Opt. Max. Canendas, prædicandasque laudes, se totos, deinceps convertebant: Qui, ea ratione, illis, tantam Sapientiam, et super Creaturas cæteras, Potentiam, Imperiumque fuisset Largitus amplissimum.

THEOREMA XXIII.

Ut, nostrum huius libelli exordium, a puncto, recta, circuloque coepimus, sicque ex nostro monadico puncto, linearem nostrorum elementorum effluxionem extremam, in circulum circumduximus, analogum fere, ipsi æquinociali, qui horis 24, suam conficit circuitionem: Ita, nunc tandem, quaternarii omnimodam metathesim (numero definitam, 24). Metamorphosimque hac nostra vigesima quarta consummabimus, terminabimusque theoria: ad honorem, gloriamque eius qui (teste, mysteriorum diuinorum archipræsule, Ioanne in quarti Apocalypseos capitis parte quarta ultimaque) in throno sedet in cuius medio circuituque animalia quatuor (singula alas sex habentia) sine requie, die ac nocte, dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens qui erat et qui est et qui venturus est, quem etiam, ex 24 sedilibus, in circuitu positus, seniores 24, procidentes (aureis suis abiectis coronis) adorant; dicentes: Dignus es Domine accipere Gloriam et Honorem et Virtutem, quia, tu, creasti omnia, et propter voluntatem tuam sunt et creata sunt. Amen, dicit litera quarta Δ: cui, Deus, voluntatem habilitatemque dedit, diuinum hoc mysterium, æternis sic consignare literarum monimentis laboresque hosce suos, placidissime absolvere Ianuarii 25 die eiusdem 13 inchoatos. An. 1564. Antwerpia.

